

## CAPVT VIII.

## De perfectione mundi

## ART. I. Status quaestio[n]is declaratur

188. Circa perfectionem mundi duea quaestiones a Philosophis agitantur, scilicet 1° num hic mundus sit in suo genere perfectus, an imperfectus, seu utrum necne finem a Deo praestitum optime assequatur; 2° utrum, necne hic mundus sit absolute perfectus, id est omnium possibilium optimus. Solutionem primae quaestio[n]is ad *Theodiceam* amandumus; ibi enim argumenta, quae athei ad Dei existentiam impugnandam, et Manichaei ad duplex principium mundi, unum bonum, et alterum malum adstruendum ex mundi imperfectionibus aggerunt, exsufflabimus, ac proinde perfectionem mundi in genere suo evincemus.

189. Circa alteram quaestio[n]em, nos hic ad examen non revocamus illorum opinionem, qui Deum a mundo non distinguunt, atque inde mundi optimismum concludunt; nam huiusmodi opinio una cum pantheismo, quo innititur, sponte sua corruit. Itaque sententiam illorum excutiemus, qui dum Deum a mundo distinguunt, Eumque esse huius liberum auctorem profert, mundum omnium possibilium optimum esse tueruntur.

190. Iam huius sententiae etsi non primus auctor, tamen acerrimus propugnator Leibnitius fuit<sup>1</sup>. Nuperrime autem Bouillierius, aliisque non pauci Galliae Philosophi optimismum mundi ita defendunt, ut mundum natura, seu *entitate* sua esse omnium possibilium optimum non dicant, sed summam eius perfectionem ex continuo, infinito progressu repeatant<sup>2</sup>; nempe, secundum ipsos, mundus est omnium possibilium optimus, non quod optimae sunt singulæ eius naturæ, sed quod ipse, totus quantus est, a bono ad melius in infinitum progreditur.

<sup>1</sup> Praeter Platonem inter veteres, Abaelardum in media aetate, et Wiclefum sub recentis aetatis initium, sententia de optimismo mundi Malebranche probata est.

<sup>2</sup> *Diction. des scienc. phil.*, art. *Optimisme*. Leibnitius etiam, a difficultibus adversariorum pressus, eo tandem devenit, ut theoriam suam de mundo optimo e continuo progressu derivaret; *Theod.*, par. II, § 202.

## ART. II. Optimismus mundi refellitur

191. Doctrinam de mundo optimo, quocumque modo accipitur, admitti non posse sequentibus propositionibus evincitur:

Prop. 1<sup>o</sup>. Optimismus Leibnitianorum et per se absurdus est, et ad exitiales errores ducit.

Probatur prima pars. Finis, ob quem Deus mundum creavit, ut in *Theodicea* videbimus, est manifestatio perfectionum Dei; qua de re mundus optimus ille dicendus foret, qui perfectiones Dei ita manifestet, ut nihil supra. Atqui mundus, quilibet ipse sit, utpote finitus, perfectiones Dei nequit ita manifestare, ut ipsae magis, ampliusque manifestari non possint. Ergo hunc mundum, vel alium quenlibet possibilem esse omnium optimum absurdum est<sup>4</sup>.

192. Probatur altera pars. Doctrina de mundo optimo potentiam Dei, quae omnem limitem respuit, limitibus cogit; atque Deum, qui in productione rerum extra se maxima libertate gaudet, necessitatibus obnoxium facit. Ergo ad exitiales errores ducit.

193. Antecedens ita demonstratur. Et sane: 1<sup>o</sup> Si Deus mundum omnium possibilium optimum creavit, Eius potentia iam exhausta est; quia, cum mundo optimo nullus alius praestantior dari queat, Deus iam effecti quidquid efficere potest. Atqui potentia, cuius obiectum exauriri potest, imo iam exhaustum est, non est infinita. Ergo theoria, quae mundum omnium possibilium optimum a Deo creatum esse statuit, infinitam potentiam Dei tollit<sup>2</sup>.

2<sup>o</sup> Si Deus mundum creare volens, debuit optimum omnium possibilium creare, non potuit ex infinitis mundis possibilibus<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Cf s. Thom., Qq. disp., *De Pot.*, q. I, a. 5. c.

<sup>2</sup> Adeo verum est optimismo mundi omnipotentiam Dei laedi, ut Abaelardus, et Wiclefus, cum docuerint Deum non posse alia facere, quam quae fecit, id quod omnipotentiae Dei profecto adversatur, autumarunt quoque, ut paulo ante adnotavimus, illum mundum a Deo creatum esse, qui est omnium possibilium optimus.

<sup>3</sup> Series mundorum possibilium, non diffidente eodem Leibnitio (*Lettres à Borguet*, Lettr. I), est infinita. Et sane mundi, qui esse possunt, tot sunt, quot sunt modi, quibus Deus esse suum cum rebus extra se communicare potest. Atqui series horum modorum est infinita; quia, cum singuli modi finitam entitatem, seu realitatem a Deo accipient, horum series, quantumvis maxima dicatur, vel cogitetur, *Esse* Divinum, utpote infini-

potius unum, quam alium ad existentiam vocare, sed eum, quem creavit, scilicet omnium optimum creare coactus est. Atqui ubi non est electio, ibi est necessitas. Ergo Deus hunc mundum prae reliquis possibilibus non ex suae voluntatis consilio, sed necessitate coactus creavit. Quinimmo ex theoria optimismi illud etiam sequitur, quod Deus mundum, quicumque sit, creare cogitur. Etenim, Leibnitianorum iudicio, Deus mundum omnium optimum creare debet, ut perfectiones suas, quoad fieri potest, manifestet; ergo eo magis ad mundum creandum cogitur, alioquin perfectiones suas non modo non quoad fieri potest, sed omnino non manifestasset<sup>4</sup>.

194. Prop. 2<sup>a</sup>. *Optimismus etiam eo modo, quo a Bouillierio, aliisque explicatur, reiciendus est.*

*Probatur.* Ratio, ob quam repugnat ullam particularem creaturam esse omnium possibilium optimam, in eo, his Optimistis non differtibus, sita est, quod quaelibet particularis creatura infinitum *Esse* Dei modo finito repraesental, ac proinde aliae sunt possibles, quae *Divinum Esse* magis, magisque manifestant; siquidem finito aliquid semper addi potest. Atqui, etiamsi detur mundum esse in continuo progressu, ipse, cum non nisi finitae progressionis capax sit, *Esse infinitum* Dei modo finito semper manifestat, ac proinde alii multi eo praestantiores fieri possunt. Ergo eadem ratione, qua probatur, nuperorum Optimistarum iudicio, nullam singularem creaturam esse omnium possibilium optimam, probatur simul ne totum quidem mundum, quicumque tandem sit, omnium possibilium optimum esse.

195. Adde his, quod continuus progressus in infinitum, quem hi philosophi mundo, prout totus est, considerato tribuunt, prorsus commentitius est. Etenim, cum mundus in tota rerum, ex quibus conflatur, universitate consideratus non sit aliquid

tum, exhaustire numquam potest. Ergo series mundorum possibilium est infinita (cf s. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. XIV, q. I, a. 4 ad 3). Exinde aliud argumentum, quo mundus optimus veluti in se absurdus redargitur, confici potest; siquidem, posita doctrina de mundo optimo, series mundorum possibilium non esset infinita; quippe quod, postquam series a mundo minus perfecto ad mundum magis perfectum progrediens, mundum omnium optimum assecuta est, supra ipsum assurgere nequit.

<sup>4</sup> Cf Fénélon, *Réfutation du système du p. Malebranche sur la nature, et la grâce*, c. 6, et Bonifas, *Étude sur la Théodicée de Leibniz*, part. 3, c. 1.

abstractum, sed ex diversis naturis rerum compositum, non potest aliter intelligi ipsum esse in continuo progressu, quansi ipsas naturas rerum in naturas praestantiores continuo transmutari admittatur, alioquin progressus non esset substantialis, sed accidentalis. Atqui repugnat naturas rerum ita progredi, ut aliae in alias continuo transmutentur<sup>1</sup>. Ergo repugnat in mundo inveniri illum progressum, quem nuperi Optimistae commenti sunt.

196. Obiic. 1<sup>o</sup> Leibnitius, eiusque sectatores: Si Deus inter mundos possibilis optimo alium praetulisset, mundum sine ulla ratione sufficiente creasset. Atqui quidquam ne in Dei quidem operibus sine ratione sufficiente esse potest. Ergo Deus mundum omnium possibilium optimum creasse dicendus est.

197. Resp., *Dist. mai.*, sine ratione extra Deum posita, *conc. mai.*, sine ratione, quae est in ipso Deo, *neg. mai.*; eadem *dist. neg.* et *conc. min.* *Neg. cons.* Sane admittenda est aliqua ratio, ob quam Deus mundum creavit, quia Deus, utpote sapientissimus, nihil sine ratione moliri potest. At, cum Deus, ens sibi ipsi sufficientissimum, a causa extranea determinari non possit, illa ratio non in perfectione mundi, sed in ipso Deo invenienda est; nempe, ut s. Thomas inquit, est *ipsa sua Bonitas*<sup>2</sup>. Quod si ratio, ob quam Deus mundum creavit, non est perfectio ipsius mundi, sed bonitas Creatoris, consequitur rationem, ob quam Deus hunc mundum, non vero alium ipso perfectiorem, aut imperfectiorem condidit, non in perfectione ipsius mundi, sed in ipso Dei etiam querendam esse. Haec autem inquisitio supervacanea, inno temeraria est, cum de re agatur, quae ad arca Divinae Sapientiae pertinet. «Talis quaestio, ad rem ait s. Bonaventura, est irrationalis, et solutio non potest dari, nisi haec, quia voluit, et rationem Ipse novit<sup>3</sup>».

198. Obiic. 2<sup>o</sup> Si Deus crearet mundum omnium possibilium minime optimum, Sapientiae, Bonitatisque suae derogaret, quia minus bonum est quoddam malum, aequum ac minus malum est

<sup>1</sup> Cf *Ontol.*, c. II, art. 3, p. 17.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. I, c. 86.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XLIV, a. 1, q. I ad arg. Cf s. Aug., *Epist. III ad Nebridium*, n. 2.

quoddam bonum. At qui consequens est absurdum. Ergo et antecedens.

199. Resp., Neg. mai.; conc. min. Neg. cons. Sane Sapientia, Bonitasque Dei non expostulant, ut Deus efficiat mundum omnium possibilium optimum, sive *absolute* optimum<sup>1</sup>, sed tantum ut quemcumque mundum ex omnibus possibilibus efficere velit, ipsum efficiat *relative*, nempe *in genere suo* optimum, quatenus ei omnia largiri debet, per quae et omnem illam perfectionem, cuius natura eius capax est, assequatur, et ad ultimum eius finem, qui est manifestatio Bonitatis Dei, perfectum ordinem habeat. Illud autem omittendum non est, per absurdam esse rationem, qua Leibnitius propositionem *maiorem* sui argumenti probavit, quia bonum, et malum *privative* sibi opponuntur, ac proinde prorsus repugnat ullum bonum, prout est bonum, esse malum, aut ullum malum, prout est malum, esse bonum.

<sup>1</sup> Cf s. Bonav., loc. cit., q. II ad arg.

## ANTHROPOLOGIA

### INTRÒDVCTIO

1. Homo omnia, quae in reliquis naturis rerum adhuc observavimus, in se exquisitiori modo continet<sup>2</sup>, atque ob suam facultatem intelligendi particeps est proprietatum, per quas substantiae intellectuales, sive Angeli caeteris rebus creatis excellunt<sup>3</sup>; quocirca ipse annulus est, quo natura visibilis cum invisibili copulatur, ut unica inde universitas rerum creatarum efficiatur<sup>4</sup>. Hinc tractatio de homine a *Cosmologia*, ut diximus<sup>4</sup>, segregatur, atque peculiarem Philosophiae partem, quae *Anthropologia* vocatur, sibi propriam habet. In hac tractatione primo explicabimus quidquid ad unionem animae, et corporis in homine spectat; deinde inquiremus 1° in quo essentia animae humanae consistat; 2° utrum, necne anima sit immaterialis; 3° quaenam sit origo animae; 4° utrum, dissoluto corpore, anima superstes sit, an cum corpore pereat.

### CAPVT PRIMVM

#### Quaenam sit animae, et corporis unio in homine inquiritur

ART. I. *Substantialis animae, et corporis unio in homine adstruitur*

2. Communis vulgo hominum persuasio est hominem non esse solam animam, aut solum corpus, sed aliquid, quod ex anima, et corpore conflatur<sup>5</sup>; siquidem nemo, quantumvis plebeius, cadaver, aut animam a corpore separatam hominem appellat, latumque discrimen inter *cadaver, animam, et hominem* non a-

<sup>1</sup> Hinc homo μυκόκερας, parvus mundus, dictus est, quia, ut s. Thomas advertit, « omnes creature mundi quodammodo inveniuntur in eo »; I, q. XCI, a. 1 c.

<sup>2</sup> Cf s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. IX, c. 13, n. 3.

<sup>3</sup> Cf Nemes., *De natura hominis*, c. 1. — <sup>4</sup> Pag. 86.

<sup>5</sup> De Dicearcho, aliquis paucis antiquis, et recentibus Materialistis, qui in homine corpus tantum admirerunt, alias disseremus.